

„ etiam sine auxilio Spiritus Sancti, et si minus facile, tamen aliquo modo nequam spiritui resistatur... Quid opus est hoc auxilio, si tam forte, tam firmum est ad non peccandum liberum arbitrium? Sed etiam hic vult intelligi, ad hoc esse auxilium, ut facilis sit per gratiam, quod et si minus facile, tamen putat fieri praeter gratiam.... Cū autem facilis additur, adimpletiō boni operis etiam sine Dei gratia posse fieri, tacita significazione suggestur. Quem sensum redarguit, qui dicit, sine me nihil potest facere. „ Ex quibus, & aliis, quae ibidem Augustinus subnec̄tit, palam est, eum de utraque loqui gratia, & utramque simul adversus Pelagium inferre; sufficientem scilicet, quā possumus, & sine qua simpliciter non possumus salutiferum opus implere: & simul efficacem, quā illud implemus, & spiritui nequam resistimus, & sine qua salutariter non implemus, nec resistimus. Cū igitur de utraque simul sermonem instituat, quid mirum est, quod dicat omnino nihil boni salutaris sine illa fieri posse? Utrāque enim ab homine sejunctā gratiā, omnino nihil, quod ad salutem pertinet, fieri posse, est omnibus Catholicis exploratissimum. At Quesnelianus damnatus articulus loquitur expressè de sola efficaci, dicendo, quod sine ipsa non solum nihil boni fit, sed nec fieri potest.

13 Eundem Augustini locum integrum, ut à me relatus est, intorquet Author Hexaplorum, simul columna 5. monens, P. Quesnellum admittere gratias debiles, initia gratiæ, & que non semper conversionem peccatoris efficiunt; quo quidem fuso incautos deludere, & errorem obducere conatur; sed sordes minime abstergit; nam gratiæ illæ non ita Quesnelli sensu debiles sunt, ut non sint efficaces, vel ut respectu alicujus actus solummodo sufficientes sint. Sed debiles appellantur, comparatione fortiorum, quæ integrum peccatoris conversionem efficiant. Vocantur etiam debiles comparatione tentationis, seu concupiscentiæ ardenteris, atque ita necessariò prevalentis, ut ad ulteriorem effectum gratia se extendere nequeat. Verum cum neque ad vincendam concupiscentiam, neque ad eliciendam conversionem in Quesnelli, & Jansenii sententiā à Deo concedantur, non sunt sufficientes ad ullum, qui non conceditur, effectum; sed operantur insuperabiliter, & inclinabiliter quidquid à Deo intenditur, & declinabiliter quidquid in his temptationum ad quidquid operandum in his temptationum circumstantiis idoneæ sunt, ita ut nulla gratia juxta Quesnellum & Jansenium, plus hic & nunc operari valeat, neque liberum arbitri-

trium cum ea, quam quod re ipsa, & insuperabiliter operatur.

14 Placet quoque damnati erroris defensoribus illud epistolæ Innocentii I. quæ est inter Augustinianas centesima octogesima prima, alias nonagesima prima. Quamvis redemisset hominem à præteritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparacionem sibi, quemadmodum posset illum & post corrigerem, multa servavit: quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti, consisque nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non auxiliante vincamur. Certum est, nos nisi cœlestibus confisi nitremur auxiliis, non posse humanos vincere errores, sed de salute, & observatione mandatorum necessariò desperatueros. Ut enim Divino auxilio vincimus, (non enim sine illo vincimus) necesse est eo absente superemur: atque is unus totius epistolæ sensus, & finis, cuilibet integrum legenti manifestus est. Non verò Sanctissimi Pontificis verbis subest, quem unicè adversarii adamant, sensus Jansenianus, & hæreticus, quod sicut Deo non auxiliante, necessariò vincimur, ita auxiliante necessariò vincamus; unde sequeretur, omne Dei auxilium esse efficax, nulli unquam in statu naturæ lapsæ resisti, immo nec posse resisti, seu dissentiri: quod consonat propositioni 2. & 4. Jansenii.

15 Sex paginas priores implet Hexaplorum Author citationibus textuum, quibus stabilitat primam Propositionis partem: Quod Iesu Christi gratia principium efficax boni cuiuscunque generis necessaria sit ad omne opus bonum. Quam partem (si excipias, quod indefinitè gratiam Christi asserat efficacem) existimo à nemine fuisse accusatam, neque eam damnationi articuli anſam præbuīse. Sed multitudine textuum, quantumvis scopo suo inutilium, fascinare Author voluit imperitos.

16 Secundam propositionis partem defensurus, eam à priore duabus paginis sejunctam sic proponit: Absque illâ (gratiâ) non solum nihil fit, sed nec fieri potest. Quasi verò damnatum sit, & defensione egeat, quod sine gratiâ nihil ad salutem pertinens fieri possit. Maluit scilicet solam vocem Gratia, non autem gratia efficax includere parenthesi, ut sententia Catholica proscripta vulgi oculis appareret. Hic rursus inutili textuum congerie probandum suscipit, de quo nulla quæstio est, nos sine gratiâ non solum nihil salutaris boni facere, sed nec posse. Probationis initium dicit ab illo libri 3. de imitatione Christi cap. 55. O quam maximè est mibi necessaria, Domine, tua gratia ad inchoandum bonum,